

Isaacus Barrovius in sua *Euclidis* editione Cantabrigiensi, certis signis Brachygraphicis utitur: Ita h.l. si argumentum ex textu Elementorum vel Legum fit à simili, contrario, causa, effectu, genere, toto, parte, alioque loco Topico, pro quolibet sit certum signum; ita qui textum evolvat, & signum intuebitur, vim argumenti facile perspiciet, eoque ipso ingenium exercebit, nec quicquam brevitatis ei officiet. Sed hæc aliquando exemplo magis & factis, confecto tali Breviario, quàm nunc verbis ostendemus. v. g. pro loco à contrario esto signum $\text{)}(\text{}$. à simili $(\text{)}$. à causa O— . ab effectu —O . à genere ^ . à specie v . à toto = . à parte = . Et quoties duæ Leges vel duo loca Elementorum conjuncta demum vim concludendi ostendunt, ibi potest adhiberi signum, † v. g. l. 20. D. V. O. † l. 10. D. de Leg. Ex autoribus verò citentur ii tantùm qui quæstionem præclare tractârunt, & argumenta pro & contra plurima firmissimæque collegerunt.